# DISSERTATIO
## INAUGURALIS MEDICA
DE
# MORBO SCROPHULOSO.

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
*EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI*
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM,
ANTIQUISSIMAE AC CELEBRATISSIMAE UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE
IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

*AUGUSTUS GRAILICH,*
HUNGARUS ZÁRÁNDFALVENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die XIV. Julii Anni MDCCCXXXII.

VINDOBONAE.
Typis Joannis B. Wallishuasser.

# PROOEMIUM.

Mente attenta pervolvens objecta Scientiae et Artis, cui mente, et corpore cunctis vitae meae diebus inservire, mihi jam dudum proposueram; quid pro themate dissertationis seligerem, diu dubius haerebam, siquidem omnia, vires tyronis, cursum litterarium vix absolventis, longe exsuperant; scribendum tamen erat, ut legi Academicae satisfacerem; selegi ex immenso fere organismum humanum infestantium morborum numero morbum scrophulosum organismi humani in prima jam evolutione detenti hostem teterrimum, tot malorum in hominum perniciem conspirantium fontem foecundissimum, omnes conatus artis salutiferae saepe pertinacissime eludentem morbum.

Sed nequaquam animus mihi est, nova quaepiam, circa hunc morbum exarandi aut exactam ejusdem descriptionem subministrandi, persuasum enim mihi habeo huic vires tyronis nequaquam sufficere; neque credo Te Lector Behevole! a me limen palestrae literariae vix

deserente nova quaepiam exigere; sed ut, cum tam frequens ejusdem exitus tristissimus sit, ad hunc, quantum per scientiae et artis praecepta licet, praecavendum attentionem excitarem; quae in operibus Virorum Celebratissimorum, Scientia et Experientia Insignium circa hoc objectum inveni, eadem hic breviter adducere adnisus sum.

Quod autem humeris imposui onus, ipsum adgressus opus, eo magis persensi, quo diutius attentiusve objecti gravitatem et ambitum perpendi, quantoque brevius ad id exarandum concedebatur tempus. Non immemor igitur difficultatum, quibus premebar, primo huic meo fave labori.

Dabam Vindobonae 18. Junii. 1832.

AUCTOR.

# DE MORBO SCROPHULOSO.

Morbus scrophulosus cachexia est sui generis infantibus prae ceteris propria, quae perfectam consecuta evolutionem chronicis tumoribus glandularum lymphaticarum, praecipue colli et mesenterii, subaxilarium, inquinalium et aliarum manifestatur *).

Morbus scroph., cachexia scroph., cacochymia scroph., malum scroph., scrophulosis, idem plerisque auctoribus significant. Recentiorum plurimi distinquunt inter scrophulas (die Scropheln) et morbum scrophulosum (die Scrophelkrankheit) sub illis tumores palpabiles symptomaticos morbi scroph. intelligentes. Sunt tamen, qui omnem glandulam tumentem absque respectu ad causam, scro-

*) Handbuch der spec. Pathol. und Therap., von Joh Nep. Edlen von Raimann. 2 Bd. 1826. p. 357.

phulam dicunt. Morbus hic priscum jam est generis humani flagellum, Hippocrati, Galleno etc., antiquitatis scriptoribus notus, qui diversissimas de illius natura protulerunt opiniones, ab eorum successoribus vario dein modo modificatas, omnes vero plus minus pathologiam humoralem redolentes, a qua nec recentissimorum medicina immunem se tueri valuit; etenim pituita spissa, abundans, viscosa, concretiones sanguineae et purulentae, humor frigidus totidem sunt producta pro fomite morboso harum glandularum declarata. Clariorem quidem lucem sparsit detectio systematis lymphatici super theoriam morbi scroph., quin tamen antiquae ideae circa mutationes humorum proscriptae essent. Sedes morbi cognita campum amplissimum apperuit investigationum et fontem diversissimarum circa naturam hujus mali prolatarum sententiarum. Quaerebatur nunc causa scrophularum plerumque in lympha crassa, degenerata in glandulis adcumulata atque stagnante; et haec adcumulatio et inspissatio nunc a debilitate adparatus lymphatici, nunc ab acido aut acrimonia peculiari indolis herpeticae, syphiliticae, nunc a principio naturae singularis, vitium, virus aut genius scrophulosus nuncupato etc. derivabatur. Cum uberior de his tractatus limites hujus opusculi transgrediatur, illi, qui plura et meliora rescire volunt, adeant opera in fine dissertationis adducta.

Divisiones morbi, de quo loquimur variae occurrunt apud auctores

a) Dispescuntur scrophulae in veras, et spurias; sub illis tumores glandularum lymphaticarum

quibus morbus scroph. subest; sub his iterum tumores glandularum colli, subaxillarium, inquinalium etc. solitarios, mox disparentes, deficiente tamen cachexia scroph., intelligentes. Dividitur porro morbus

b) in haereditarium et adquisitum.

c) externum, internum et mixtum

d) endemicum et epidemicum. Singulorum significationem ipsum indicat nomen. Tandem

e) in scrophulam torpidam, erethisticam et mixtam, quae sensibilitatis irritabilitatisque gradui individuorum. scroph. innititur; ast quamvis haec utilitate practica non careat, arctiores tamen limites, quibus a se invicem distinguantur, vix assignari possunt.

---

# DIAGNOSIS.

Scrophula duo plerumque percurrit stadia, primum diathesis scroph., alterum morbus scroph. evolutus nuncupatum. Quibus considerandis nostra nunc inhaerebit attentio.

Morbo scroph. in primo stadio versante, nec tumores glandularum, nec anomaliae graviores functionum organismi observantur. Habitus corporis externus, abnormis evolutio organismi infantilis, diversae adfectiones morbosae utut exiguae debite tamen aestimatae, momenta sistunt medici diagnosim molientis attentione dignissima. Quod habitum corporis externum, scrophulosum dictum, spectat, se-

quentibus manifestatur signis: Caput relative majus, occiput normali amplius, frons angusta, maxillae, latae, capilli albicantes. Facies plerumque tumidula vel saltem plena, jam palida, lurida — jam florens cum amoeno saepe circumscripto genarum rubore. Oculi utplurimum magni, iris caerulea, pupilla dilatata, albuginea, vasculis copiosis sanguine injectis perreptata, margines palpebrarum leviter inflammati. Labium superius crassum, alae nasi periodice tumentes, leviter rubentes — symptoma pathognomonicum. — Cutis universa tenera, pellucida, vel mollis et laxa, facile sudans, vel rigida, aspera, hinc inde exanthemate quodam defoedata. Corpus primo adspectu nunc plenum bene nutritum adparens, nunc tenerum, gracile, procerum; exactius exploratum musculos offert molles, laxos. Abdomen generosum, extremitates debiles, tenerae; inde est, quod infantes scroph; aegre incedant, sedere vel repere malentes. Functiones, quae in organismo infantili diathesi hac notato, retardantur et turbantur sunt: Dentitio, ossium et carnium evolutio, incessus et loquela — manifesta dispositio ad Rhachitidem. Alia vero ex parte relativum eminet praepondium vitae sensiferae, prae vegetativa, hinc praecox evolutio sensuum externorum et intellectus, praemature evigilans, ad masturbationem persaepe seducens stimulus sexualis — ut igitur et nobilissimum donum naturae et turpissimum vitium, qua morbi adpareant effectus.

Praeter haec magna adest opportunitas ad catarrhum narium, tussim cum largis sputis mucosis, epistaxim saepe recurrentem; his accedunt turbae

gastricae ex abundante muci, acidi in primis viis secretione, vermium generatione procedentes — hinc inde anorexia cum voracitate alternans, praedilectis cibis farinosis; dolores colici, evacuationes alvinae inordinatae cum excrementis jam siccis, jam fluidis, mucosis, rarissime consistentiae et coloris normalis; apud puellas non raro profluvium mucosum e vagina saepe acre. Hinc inde comparent tumores oedematosi in facie et scroto, sub pressione disparentes, crusta lactea, eruptiones herpeticae.

Fausta sub rerum positione, malum, descriptum haud transgreditur gradum, non raro tamen altiorem attingit ipseque manifestus evolvitur morbus scroph., quem sequentia produnt symptomata: tumores glandularum lymphaticarum in collo, axillis, inguinis, mesenterio reconditarum, ad magnitudinem pisi, nucis avellanae, ovi columbini, gallinacei increscentes, ab initio molles, dein duriusculi indolentes, periodice de- et increscentes, pertinaces, serius inflammatione chronica corripiendi. Licet diutissime in hoc statu absque ulla conspicua mutatione persistere possint, serius ocyus tamen, si non resolvuntur, increscit volumen, duriores redduntur, cutis externa valde tenditur, obscure rubens, percipiuntur dolores tensivi, pungentes, tarde quidem, attamen in supporationem tandem abeunt. Tumor mollis et pastosus evadit, apex purulentus non semper animadverditur. Cutis denique in uno vel pluribus perforatur locis, ab initio liquore seroso — lymphatico, dein pure lacti simili viscido mucoso, effluente; si abcessus ad ossa usque extenditur sanies tenuis et acris extillat, hinc inde febris sup-

puratoria ad vesperas accedit. Facta hac evacuatione, tumor concidit, ulcus vero, quod oritur margines offert laxos, spongiosos, reflexos, inaequales, pallidos, superficiem pluribus quasi cellulis formatam, impuram, parum sensilem; ulcera haec pertinacia plerumque, saepius quidem evanescunt, novi tamen in aliis partibus interim oriuntur tumores, qui late et profunde propagantur, nec ossibus articulisque parcunt. Ciccatrices semper profundae, durae, inaequales per integram vitam indelebiles, defoedant. Neque desunt exempla, ubi tumores scroph. imprimis male tractati, mole aucti indurabantur in veros conversi scirrhos, qui exulcerationi canceraticae ansam praebuerunt.

Similes metamorphoses probabiliter et internae glandulae percurrunt, gravioribus tamen symptoma tibus stipatae. Diagnosis solertissimam postulat omnium momentorum aestimationem, et nonnisi ex propriis signis laesarum functionum organorum eminenter adfectorum, collatis cum habitu corporis et simultaneis symptomatibus scrophularum externarum, cum aliqua probabilitate statui potest. Frequentissime glandulae in cavitate thoracis recondita morbo scroph. tentantur. Tubercula pulmonum in cadaveribus recens natorum, imo etiam partu praematuro in lucem editorum foetuum saepe inveniri, per quam notum est. Solent autem ad annos pubertatis usque sine peculiari noxa latere; hoc vero tempore, ob incipientem, ut videtur, alacriorem functionem organorum respiratoriorum notabiliter increscunt, inflammantur, suppurant funestamque sistunt phthisim tuberculosam — non rariores sunt tumores

scroph. glandularum meseraicarum, de quorum praesentia tactu jam saepe et exitu tristissimo phthisi scilicet meseraica convincimur. Malum scroph. altioris gradus nec glandulas conglomoratas; parotidem, thyroidaeam, pancreas, hepar immunes relinquit, quae intumescunt et indurantur.

Frequentissimum morbi scroph. symptoma sistit ophtalmia scrophulosa, illas oculi partes praeprimis corripiens, quae glandulosam offerunt structuram, et vel immediate qua talis post omnem influxum nocivum in oculum agentem in conspectum venit, vel ex traumatica, rheumatica, catarrhosa originem summit. Hinc inflammationes palpebrarum, conjunctivae cum secretione purulenta et fluxu lacrymali saepe saepius in individuis scrophulosi detentis observantur. Infantes praeprimis praeter has et aliis inflammationibus et morbosis secretionibus: catarrho diuturno membranae Schneiderianae, tracheae, bronchiorum cum tussi et larga secretione ab initio mucosa serius purulenta vexantur. Mentionem adhuc faciendam habemus de numerosa malorum caterva, partim symptomata, partim sequelas scrophularum sistentia, uti sunt: impetigines humectantes retro aures, ad genitalia, herpeticae, scabiosae; excrescentiae fungosae, ex ulceribus scroph. promanantes, obscurationes corneae, pannus, pterygium, fistula sacci lacrymalis qua sequelae ophthalmiae scroph., intumescentiae, tum extremorum, tum corporum ossium longitudinalium cum luxationibus sic dictis spontaneis, quae lente inflammantur, in ulcera maligna, tendines, cartilagines corrodentia, in spinam ventosam transeuntes; porro caries dentium, mollities omnium os-

sium, incrementum voluminis cranii cum aucta cerebri mole, hydrocephalus chronicus et reliqua signa evolutae Rhachitidis horridum claudunt agmen. Cum his pari passu incedit febris depascens, jam lentae nervosae, jam pituitosae speciem referens, cum diarrhoea exhauriente, sudoribus nocturnis etc. mortis saepe praecursor.

Decursus, morbi scroph. plerumque est lentus, prae reliquis ab aetate, anni tempore determinatus. Sic a dentitione prima ad annum usque aetatis septimum, maximum est scrophuloseos dominium, raro tamen ceteris paribus ante annum tertium evoluta observatur; organismo autem magis magisque perfecto, inprimis organis digestioni et adsimilationi dicatis altiorem perfectionis gradum assecutis, minus frequens est. Ita quoque anni tempus nexum fovere cum scrophulosi, rapidius ejusdem incrementum vere ingruente, tempestati humidae, calidae, frigidiusculae nec non variabili magnopere favente, mitigatio autem cum subsequentibus caloribus aestivis, et status scrophularum optimus versus aequinoctium tandem autumnale, luculenter testantur. Sub regimine, tractamineque congruis, et reliquis faventibus conditionibus, aetate infantili vel tempore pubertatis, ubi non raro in puellis comparentibus menstruis naturae cedit medicatrici, feliciter devincitur; rarissime vero ipsa diathesis penitus deletur. Si vero ob deficientes organismi vires et circumstantias aegri infaustas, major mali gradus tum adhuc perstat, ubi organa genitalia suis fungi incipiunt officiis, noxium in functiones sexuales et evolutionis processum exerere suevit influxum; nec ulla spes sanationis, ubi revolutio in oe-

conomia animali tempore pubertatis obtinens nihil profecit.

Cadavera hoc morbo peremtorum, pulmones consuetim tuberculosos aut exulceratos, hepar et pancreas magnae molis consistentiae durioris, ventriculum saepe excrescentiis polyposis obsitum offerunt. Tumores glandulares copiosissimi plerumque in mesenterio, duri sunt, discissi materiam tenacem, caseosam, terream continentes — hinc inde exulceratione devastatae.

## AETIOLOGIA.

Scrophulosis saepe haereditaria est. Experientia quotidiana constat, parentes scrophulosos, similes procreare proles, malumque integris familiis per plures saepe generationes proprium esse, nullum dubio concedit locum. Sed et proles parentum, quorum reproductio impetiginibus, syphilide, phthisi, nevrosibus chronicis abusu veneris, onania, senio, curis, rerum penuria etc. labefactata est; proles parentum juvenum, dispositionem peculiarem malo scrophuloso offerunt. — Aetas etiam infantilis, prae adulta, sexus foemineus prae virili, constitutio denique corporis laxa, spongiosa, atonica, alia vero ex parte tenera, gratilis, debilis; temperamentum pariter una ex parte phlegmaticum et iners, alia vero sanguineum irritabile ad scrophulosim disponunt. — Ad causas hujus morbi excitantes referuntur: aër habitaculorum impurus, stagnans, humidus, influxu radiorum solarium

destitutus; hinc tanta frequentia scrophularum in tuguriis pauperum, opificum, in urbibus majoribus praecipue in immundis harum plateis, ubi in eodem cubili numerosa degit familia, ubi prunae candentes, lintea humida siccanda, perniciosos spargunt vapores clima humidum, frigidiusculum, variabile. Porro immundities, vitium egenis frequentius, nec tamen divitibus prorsus alienum familiis; praetervidetur mundities sub nutritionis negotio. Nutrimenta quantitate et qualitate peccantia consuetissimam sistunt causam, qua diathesis inducitur scrophulosa, vel haec jam praesens ad morbum extollitur manifestum. Deplorandi sunt parvuli matris sanae et vegetae naturae legem spernentis uberibus vel penitus vel et praemature destituti, quos sors iniqua sive ad nutricis scrophulosae saepe, aut aliis debilitatae morbis lac, sive ad aliud nutrimenti genus condemnavit. Sed non minus nocet imprudens matris solertia, ultra necessitatem sive lacte proprio lactantis, sive ablactatum, vel etiam aetate jam adultiorem alimentis ineptis replentis, uti sunt: pulticulae illae notae, cibi farinosi, glutinosi, pingues, albuminosi, et alia digestu difficilia, parum nutrientia in fermentationem acidam prona. Hisce adhuc adnumeranda sunt: abusus medicaminum, praesertim narcoticorum, purgantium, mercurialium; praematura intentio facultatum intellectualium conjuncta cum vita sedentaria, praeterea onania, animi adfectus deprimentes. Tandem varii processus morbosi adparatum adsimilationis et in specie systema lymphaticum gravius adficientes, quo spectant: febres gastricae, intermittentes, pertussis, variolae, morbilli, scarlatina, praesertim si crisi imperfecta et ma-

tastasibus terminantur, rapido saepe possu latens in manifestam prorumpit morbus scroph. Expositis causis remotis, quaedam de natura sive causa proxima scrophularum disserere liceat.

## CAUSA PROXIMA.

Causa proxima scrophulae cum certitudine plenaria assignari nequit. Qui ad acrimoniam peculiarem herpeti aut plane miasmati syphilitico adfinem refugiunt, hypotheses struunt penitus arbitrarias, pathogeniam morbi nec minimum illustrantes. Non minus a vero aberant, qui acidi phosphorici in organismo rettentionem et ad systema lymphaticum aberrationem accusant; etiam si acidi hujus per urinas eliminatio in nonnullis casibus parcior, in aliis tamen largior inventa est. Vero similius natura morbi scroph. in debilitate totius adparatus adsimilatarii, praevalente debilitate et torpore systematis lymphatici, cum imperfecta et abnormi lymphae elaboratione et chilificatione et oriunda inde abnormi qualitate sanguinis et omnium humorum se- et excretoriorum, quaerenda mihi esse videtur. Haec debilitatis et torporis symptomata vel in toto systemate in conspectum veniunt, uti in scrophulosi haereditaria esse solet; vel ab uno ejusdem organo ad aliud progrediendo super omnia tandem extenduntur, plerumque functionem cutis et digestionis ab initio labefactantia. Inde, et ex imperfecta chyli et sanguinis elaboratione, omnia essentialia scrophularum symptomata,

uti sunt: segnis lymphae qualitate peccantis progressus, accumulatio, stagnatio, intumescentia et induratio glandularum lymphaticarum, serius degeneratio forsan et major oxydatio lymphae et omnium humorum se- et excretoriorum, tenax et casiosa materiae secretae in abcessibus et ulceribus indoles, impetigines pertinaces, et vegetatio retenta cum imminuta vel adaucta sensibilitate et irritabilitate, luculenter explicari possunt. Ex turbata normali vitae vegetativae ad motricem, sensiferam et irritabilem, relatione, scrophulosis sub alia atque alia apparet specie. — Nunc cum adaucta, nunc imminuta incedit incitatione. In casu priori materies organica, licet etiam altioris perfectionis haud compos, ob alacriorem processum vitalem citius consumitur, quam per imperfectam restituitur reproductionem; inde imminutio voluminis corporis; teneritudo partium, variae turbae systematis nervosi atque vasorum: spasmi, convulsiones, symptomata febrilia, dispositio ad congestiones inflammationes. In casu altero, torpor in omnibus conspicuus evadit organis atque systematibus, processus vegetationis imperfectus, non valet materiam organicam ad altiores evehere naturae animalis gradus, cujus ob incitationis inertiam, quum simul deficiat proportionata consumtio, haec in contextu organico supra modum accumulatur. Inde laxitas partium solido-mollium, segnities in motu musculari, in circulo sanguinis, habitus pallidus, frigidus, status pituitosus, verminosus etc.

# PROGNOSIS.

Scrophulosis, cum systema organismi fundamentale, nempe adsimilatorium prae reliquis adgrediatur et profundas in eodem radices figat, ut absque magna totius corporis revolutione nuncquam supprimatur, in genere faustam haud admittit prognosim. Quo junior infans, si morbus non ex diathesi haereditaria ortus est; quo magis adhuc vires vitales et nutritionis opus vigent, eo melior. Diathesis solis saepe tollitur naturae conaminibus. Apud sexum foemineum ingruentibus menstruis non raro disparet, qui autem annos pubertatis transgressi, scrophulosi detinentur, morte consuetim primo ab illa liberantur. Quo manifestior habitus cachecticus, quo major debilitas, quo copiosiores sunt tumores scroph., imprimis internas detinentes glandulas, quo magis immobiles, indurati, scirrhosi, lividi, febri lenta concomitati, tanto pejus. Ulcera scroph. semper sunt sanatu pertinacissima. Quo manifestius dispositio haereditaria malo subest, quo plures conspirarunt causae occasionales, et quo minus favent circumstantiae domesticae: habitaculum, victus, clima, anni tempus etc., tanto minor plenariae sanationis spes. Ceterum resolutio scrophularum saepe concomitatur proruptione impetiginum varii generis; tineae capitis, psorae; profluviis mucosis et purulentis e. g. ex meatu auditorio, diarrhoea, diabete, vomitu spontaneo etc. non minus salutares effectus a febribus inflammatoriis, levioris gradus, sive continuis, sive intermittentibus, exanthematibus acutis, imprimis vaccina morbo scroph. supervenientibus, observati sunt.

# THERAPIA.

Cura rationalis morbi scroph. ante omnia ad causas excitantes, et ad omnes sub harum titulo pertractatas potentias nocivas respiciendum habet, quae, quo usque licet illico removeantur, regimen diaeteticum sanationis scopo rite adcommodatum simul in auxilium trahendo. Spectant vero huc: aër purus siccus cum motu corporis adaequato; hinc cubile seligatur spatiosum, lucidum et siccum, orientem aut meridiem spectans, aërem omni die renovando, versetur aeger sedulo in aprico in hortis et campis virentibus; regio palludosa etc. cum sana ubi licet, permutetur. Porro mundities summa: idcirco lotio corporis cum aqua subfrigida omni die instituenda, usus balneorum tepidorum semel aut bis omni hebdomada, frictiones cum spongia, vel panno laneo summe commendari merentur. Regularis tandem et moderatus nutrimentorum usus, quantitate et qualitate viribus digestricibus correspondentium. Lac maternum, aut ubi hoc non licet, lac juvenis, sanae et robustae nutricis, parvulis diathesi scroph. notatis optimum praebet nutrimentum. Serius, organis scilicet digerentibus majorem vigorem assecutis, cibi animales cum vegetabilibus apte combinentur, prioribus semper praevalentibus uti sunt: juscula carnea cum Sago, orysa, rad. sallep incoctis, ova surbilia, carnes tenerae non pingues et s. Abstineatur a cibis flatulentiam causantibus, in fermentationem acidam pronis et quibuscunque demum majore mole ingerendis. Pro potu seligatur aqua fontana pura, vel cum

vitello ovi et sacharo, hinc inde cum pauxillo vini, cerevisia rite praeparata et fermentata.

Indicatio secunda jubet; morbum ipsum cum symptomatibus suis tollere. Huic saepenumero methodus praeparativa praemittenda. Ubi nempe acidum primarum viarum, mucus, aliaque producta morbosa et cruditates, therapiae adhibendae obsunt, tractus intestinalis remediis absorbentibus, emeticis et purgantibus ab iisdem deliberandus est. Ad priora referuntur: magnesia, lapides cancrorum, carbonas sodae etc. Ex emeticis, tartarus emeticus et rad. Ipecacuanhae, prae ceteris adhibentur, quorum non tantum effectus saburras evacuans, sed et actio in systema lymphaticum et gangliorum directa in censum vocanda est. Purgantia consuetim seligimus phlogistica ob atoniam tubi intestinalis et debilitatem universalem. Rad. Rhei chin. tum in substantia, tum in praeparatis suis officinalibus, frequentissimam sibi invenit indicationem. Hocce remedio non sufficiente rad. Jalapae cum Magnesia, Calomele conjunctue porrigantur, remediis purgantibus drasticis fortioribus autem, praeprimis in cura infantum medicus vix unqnam indigebit. Morbum autem ipsum adgressuri, actionem vitalem adparatus adsimilatorii, praeprimis systematis lymphatici exaltare, lymphae hac ratione respectu qualitatis emendatae progressum expedire, atque hoc modo vegetatonis normalis conditionem et debitam ad incitationem relationém restituere intendimus. Huic vero postulato satisfit per methodum roborandem, excitantem, irritantem, antogonisticam, jam singulas seorsim, jam pro necessitate combinatas. Semper vero therapia adhibita in- et extensione sua morbi gradui,

origini, quos facit, progressibus, individualitati aegri adaequanda, habito simul respectu symptomatum urgentium, specialem curam expostulantium. — Has nunc methodos breviter lustrare oportet.

Methodus roborians: indicata est, ubi debilitas universalis, laxitas, pallor, defectus humorum obtinent, si malum ad tabem, suppurationes et exulcerationes inclinat, si febris depascens moderati gradus jam animadvertitur; si causae occasionales debilitando egerunt, vel aegri similibus influxibus exponi continuant et in specie, si diutius protracto usu remediorum solventium et alcalinorum insignis debilitas organorum digestoriorum et atonia membranae muscularis intestinorum inducta fuerit. Haec methodus tanto minus quadrat, quo magis sordes primarum viarum, nisus in inflammationem, irritabilitas exaltata eminent. Optimum idcirco plerumque est a remediis incipiendo tonico solventibus: succis pressis recentium et extractis herbarum et radicum Taraxaci, Cichorei, Fumariae, Saponariae, Scorzonerae etc., ad remedia sive simpliciter sive aromatico-amara procedere, qualia sunt: Centaur. min., Trifol. fibrin., Gentiana, Quassia, Absynth., Polygala amara, Cort. Cascarillae, Aurantiorum etc.; tandem ad roborantia fortiora: amaro-adstringentia, Chinacea, martialia transgredi licet, exceptis illis casibus, in quibus nihil obstat, quominus statim ab hisce incipiatur. Externe conveniunt balnea, nunc, et quidem frequentissime simplicia, nunc aromotica, roborantia, saponacea, sulphurea, marina, cum decocto furfurum, hbae Cicutae parata etc., lotiones cum aqua simplici vel vino remixta in connubio cum victu et regimine adaptatis.

Methodus stimulans per remedia amaro-aromatica, qualia sunt: Calamus aromaticus, Caryophyllata, Angelica, Mentha piper., Chamomilla, Valeriana etc. sub laxitate et torpore universali, praecipue in systemate dermatico et digestorio eminente, absente omni dispositione ad inflammationem, congestiones, orgasmum, tum sola, tum priori nupta, cum fructu adhibetur.

Methodus irritans et simul solvens praesertim in systema lymphat., directa, necessaria evadit, si inertia in hocce systemate eminens per copiosos vel saltem insignes, ad inflammationem non inclinantes tumores glandulares manifestatur, simulque digestionis adest lanquor, status pituitosus, cutis pallida, lurida, habitus tumidus, frigidus. Remedia huc spectantia sunt:

Antimonialia in tumoribus scroph. localibus ipsa scrophulosi altioris gradus, praesertim impetiginibus celebrata, sub horum usu digestionis ratio nunquam non habenda, cujus energia interpositis tonicis in debito tenore sustineatur. Usitatissima sunt: Stibium sulphurat. nigr., sulphur auratum antimonii, Kermes minerale, tartar. emet.

Mercurialia praeprimis indicantur, ubi tumores glandulares majores, efflorescentiae cutaneae et ophthalmiae chronicae, secretiones morbosae inter Symptomata morbi scroph. eminent; prae ceteris vero si syphilis parentum momentum disponens sistit, dummodo major debilitas tum universalis, tum organorum digerentium, dispositio ad haemorrhagias, nisus in liquationem desint, nec usus eorum diutius protrahendus. Seligantur praeparata mitiora: Aethiops

mineralis, aethiops antimonialis, Calomel, pulv. Plumeri — inunctiones cum unqaento Neapolitano.

Murias barytae et murias calcis, qua remedia omni vitae insidiosa cautum sibi expostulant usum; in casibus tamen pertinacibus, efficaciam illorum experientia confirmavit.

Remedia alcalina acidum absorbendo, tumores resolvendo, resorptionem incitando, sub acido primarum viarum, colluvie pituitosa, torpore. Huc pertinent: Carbonas Magnesiae, kali carb., liquor kali carb., soda carb., aqua calcis, sapo medicinalis, pulv. spongiae marinae ustae, decoctum tostae, alcali volat., sal. cornu cervi.

Vegetabilia hb. Jaceae, cum. res. Guajaci, Ononis spinosa.

Jodina sub forma tincturae, solutionis, kali hydrothionico-jodinici, contra scrophulas, sub iisdem, nec non sub forma unguenti adhibita efficacissimis adnumerantur contra strumam remediis

Methodus antagonistica imminuendo activitatem systematis aut nervosi aut sanguiferi, eandem in systemate lymphatico exaltare adnititur. Primum obtinet, si sensilitas et irritabilitas in universo organismo, aut in parte quadam e. g. sub inflammationibus dolorificis, adfectionibus spasmodicis, tuberculis pulmonum morbose praevalet. Remedia huic scopo inservientia, in specie in vitam sensiferam agentia, quorum tamen usus ob effectum illorum secundarium, debilitatem, quam inducunt indirectam cautus sit oportet, sunt: Opium, sed hoc remedium in cura infantum praeprimis, prudentem circumspectumque sibi requirit medicum, cum illi opio gravius tentantur, et

non raro damna irreparabilia ab hujus usu experiuntur; extract. Hyosciami, Stipites Dulcamarae in infuso vel decocto, Aconitum, Conium Maculatum, hb. et rad. Belladonnae in substantia vel extracto propinata. — Circuitus sanguifer paccandus est, ubi orgasmus, imminens vel actu praesens febris symptomatica, collectiones serosae, respiratio difficilis, tussis, locum habent. Praestant hoc: potus theati et decocta emollientia, diluentia, leniter solventia; rad. Altheae, Symphyti, Salep, Graminis etc. emulsa, serum lactis dulce, acida mineralia, elixir, acid. Haleri; tandem Digitalis purpurea, quae teste experientia in tumoribus glandularibus, effusionibus serosis et lymphaticis, hydrope, asthmate, tussi, multa saepe praestat. Parva semper dosi adhibenda et illico abstinendum, quam primum visus obnubilationem, dolorem peculiarem ad decursum nervi frontalis, symptomata gastrica etc. producere incipit.

Quaecunque autem seligatur medendi ratio, semper pharmacorum interne adhibendorum virtus, remediis adjuvetur externis scopo convenientibus et congruo regimine diaetetico. Hic memoranda sunt balnea tepida, quorum jam mentionem fecimus; enemata, indicatis substantiis medicatis impraegnata; ulcera arte producta moderando excessum actionis vitalis et restringendo secretiones morbosas in partibus dissitis, in adfectionibus localibus magnae sunt efficaciae. Remedia, quibus producuntur sunt ungu. Authenriethii, vesicantia, cortex Mezerei, Moxa etc. Tandem unguenta emplastra, fomentationes, lotiones. —

Symptomata singularia peculiarem sibi ex-

postulantia therapiam sunt: acidum primarum viarum, quibus supra dicto occuritur modo. Tumores glandulares majores, duri, praeter therapiam universalem, prouti inflammati fuerint, nec ne, jam antiphlogisticum, adplicatione hirudinum, caloris sicci ope lanae, panni lanei etc. jam irritans et simul solvens, vel etiam potentius stimulans, inunctione ungu. Neapolit ungu. Roncalliani, liniment. volatil., adplicatione fomentorum aromaticorum cum camphora, Empl. mercurial., de cicutta, saponaria etc. absolvendum, jam vero et plerumque praeter defensionem ab injuriis externis ope panni cerati, empl. Dyachyl. nullum sibi expostulant tractamen topicum. Inflammatio in suppurationem segniorem nitens, haec cataplasmatibus emoll. quibus pauxillum herbae cujusdam aromaticae additur, promovenda, abcessus aut sponte aut arte apertus purifigandus. Cura ulcerum scroph. Chirurgia specialis occupatur.

Reconvalescentia tandem feliciter introducta, gradatim nonnisi a proficuis maxime recedatur remediis, praesertim a methodo roborante, et tanto solertius a convalescente arceantur omnes influxus causis scrophulosim excitantibus adnumerati; quo facilior est in idem malum relapsus, quantoque difficilius impetranda sanatio.

# AUCTORES.

Evaret, Dissertatio de scrophula. 8. Edimburg 1749.

Lalouette, Traité des scrofulis. 12. Paris, 1780.

Ackermann, De scrofular. natura. 8. Lips. 1787.

Zuccarini, Dissert. de scrophulis. 4. Heildelb. 1789.

Ploucquet (Godof.), Dissert. Casus morbi scrophulosi. 4. Tübing. 1790.

Meckel, Dissert. de cognoscendis et curandis scrophulis. Halae, 1790.

Weber (Fridr. Aug.) Von den Scropheln, einer endemischen Krankheit vieler Provinzen Europens. 8. 1. Thl. Salzb. 1793.

Hufeland (Chr. Wilh.) Ueb. die Nat., Erkennt. und Heilart der Scrophelkr. 8. Jena, 1795.

Die Natur der Scrophelkr. u. s. w. Aus dem Engl. des Wilh. Fare etc. von Dr. G. W. Becker. 8. Lips. 1820.

Huc praeterea spectant tractatus de morbo scroph. occurrentes in operibus celeber. virorum: J. E. Wichmann, Max. Stoll, P. Frank, J. N. Raimann, Ag. G. Richter, Sprengel, W. A. Haase.

# THESES.

I.

Contagii susceptio et foecundatio processus analogi sunt.

II.

Datur status verminosus absque vermibus.

III.

Febris puerperalis, diversae naturae, diversam methodum medendi poscit.

IV.

Dantur morbi haereditarii inter quos scrophulosus frequentissimus.

V.

Functio sexualis et catamenialis citius in urbibus ac rure evolvitur.

VI.

Venena, optimum saepe sistunt medicamentum.

VII.

Bilis ad digestionem absolute non requiritur.

VIII.

Lac maternum non semper optimum praebet infanti nutrimentum.

IX.

Ante quintum mensem nulla dantur graviditatis certa indicia.

X.

Somnus pomeridianus haud indiscriminatim interdicendus.

XI.

E vita putredo, e putredine vita prodit.

XII.

Vetus adagium, „Aurora Musis amica", physiologicis innititur principiis.

XIII.

Scepticismus, dummodo inter certos retineatur limites, ad medicinae perfectionem plurimum confert.

XIV.

Quo magis fertile fuerit clima, eo magis cachexiarum genesi patrocinatur.